Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1079

Quelle:
Copyright:

minio adjectum: *Expliciunt Omelie per quadrageſimam per manus Michabelis de Ardinga.*

II. *fol.* 81. p. 2. ſuccedunt *Gregorii M. Homiliae* XL. in *Partes* II. tributae, prout extant edit. *Maur.* T. I. *col.* 1435. Quamvis Exemplum iſtud mendis non careat, e praevia tamen ad *Secundinum Epiſtola* notare duo libet *Maurianis*, ut videtur, non obſervata. Legit nempe Noſtrum: *ſed tandem dubietatem poſtmodum certa annunciacione correxi*, ubi illi: *ſed eamdem dubitationem poſtmodum certa notatione* (in not. *enodatione*) *correxi*; dein Noſtrum: *quae ſub eccleſiis dictae*, ubi illi: *quæ ſub oculis dictæ*. Epiſtolae huic Librarius noſter continenter adjunxit mutilum aliquod Epitaphium, utique non Sancti Praeſulis, cujus poſtremus verſus ſit:

Delicias mundi caſſo ſectabar amore —

Homiliae praemiſſo utrique *Parti* Elencho rite procedunt.

III. *fol.* 189. accedit Hexas *Homiliarum*. Videlicet in *Dom.* I. II. III. X. XIX. et XX. *poſt Pentecoſten*, quarum haec initia: *Scriptura ſacra diuinitus* &c. *Omnipotens deus in exordio* &c. *Sicut unius peccatoris* &c. *In huius lectionis ſerie* &c. *Cum frequenter regnum celorum* &c. *Aliquotiens contingere ſolet* &c. Homileten mihi ignotum *Gregorio* M. et *Beda* uſum eſſe video. Ita v. g. *Hom.* III. legas: *Sicut vera iuſticia compaſſionem habet, ſic falſa dedignationem*, quae ſunt *Gregorii Hom.* XXXIV. Item *Hom.* I. *Biſſus autem genus eſt quoddam lini candidiſſimi et ſuauiſſimi decoris, et greci* papagen *vocant*; ubi *Beda Hom. Dom. I. poſt Trinit.* habet: *Byſſum vero genus eſt quoddam lini nimium candidi et nobiliſſimi, quod Hebraei παπατην vocant*. Pejus hic *Bedae* Exemplum noſtro; Hebraeis enim *Byſſus* בוץ eſt. Quid vero etiam Graecum παπατη, aut παγη? Niſi recurras ad corruptionem vocis παπος, quae florum lanuginem notat, aut ad *Gloſſas Jatricas mſſ.* apud *Ducangium*, quibus παταγος *lepus* eſt, unde παταγην molliſſimam Pilorum leporinorum lanuginem divines.

CCCCLI.

Codex chartaceus lat. germ. U. 283 in confinio Sec. XIV. et XV. Folior. 114. f. ſcriptus per duas columnas non una manu, et rubricis diſtinctus, quondamque *Joh. Fabri* Antiſtitis noſtri Varia complectitur hoc ordine compilata: I. Trigam illam *Epiſtolarum Euſebii* ad *Damaſum*, *Auguſtini* ad *Cyrillum*, et *Cyrilli* ad *Auguſtinum*, Viris his ſubpoſitam, ſub Typographiae primordia ſaepius excuſam, a me jam ſaepius memoratam puta *Vol.* I. *col.* 823. 1552. 2682. et *Opp. Hier.* edit. *Vallarſ.* T. XI. *col.* 288. proſtantem.

II. *fol.* 25. p. 2. Elenchus Medicaminum ſequitur lingua germanica